

Q. D. B. V.  
Disseratio Theologica  
DE  
**INJURIIS**  
NON  
**RETALIANDIS.**

*Ex Matth. V. vers. 38. 39.*

Quam  
PRÆSIDE  
**JOHANNE KAHLER,**  
S. Theol. Doct. ejusdemque ut & Mathemat. ac  
Metaphys. in Academia Rintheliensi  
Profess. Ordin.

*Publico Eruditorum Examini subjicit*  
**JUSTUS ARNOLDUS Kriger /**

Vallendorpio-Ravensbergicus.

*d. 19 Martii Ann. M. DC. LXXXIX.*  
IN AUDITORIO MAJORI.

R I N T E L I I ,

Typis GODOFREDI CASPARI Wächter / Acad. Typ.

*Recusa* Typis HERMANNI AUGUSTINI ENAX, Acad. Typ. An. 1712.

Coll. diss. A  
59, 20

a. LX. 20.

Боголюбъ Гопкъзъ С

Сибирь

Русская

Язъна дъчинъ





**F**acilius est, cuiuslibet rei detrimentum pati, quam contemptum & contumeliam. Furta enim, rapina & vulnera patrimonium tantum ladunt & corpus; at contemptus, despicio & id genus alia in ipsummet animum, ubi situs honor est, penetrant, indeque lacesitos ad acerrimam persapè adigunt vindictam atque talionem. Adeò ut insuper habito quovis periculo verbis factisque suum faciant illud: Est vindicta bonum vita jucundius ipsa. Ut & hoc: Quemadmodum mihi fecit, ita vicissim & ei faciam. Quò propensior autem in ultionem natura mortalium deprehenditur, cò majori nisu impetus iste cohiberi debet & coerceri. Peñimo enim loco sumus, nisi injurias ita ferre possumus, ut videamur non sensisse, monitum est prudentis morumque seculi probè gnari hominis. Quod uti in vita communi sollicitè nonnunquam observatur, ita in primis Christianum Nomen profitentes MAGISTRUM suum de remissione & oblivione injuriarum docentem audire decet atque imitari. Exemplar namque hic nobis reliquit, ut insequeremur vestigia ipsius. Qui convitiis affectus, non vicissim convitiabatur, qvum malis afficeretur, non minabatur: Sed committebat causam suam ei, qui justè judicat.

I. Pet. II, 21. 22. 23. Inter alia verò huo pertinet egregium Servatoris dictum Matth. V. vers. 38. 39. quo Injurias non retaliandas, sed ferendas esse præcipit. Dignum certè argumen-  
tum, quod paulo altius repetatur, ac in quo presens occu-  
peretur Dissertatio, ad quam nunc B. C. D. opera  
convertenda est.

S  
E  
N  
T  
E  
N  
T  
I  
A  
  
Sententia Servatoris nostri  
DE  
INJURIIS NON RETALIANDIS

ITA HABET

Matth. V. vers. 38.39.

*Audivistis dictum fuisse, oculum pro oculo, & den-  
tem pro dente. Ego verò dico vobis, ne resistite  
malo: Sed si quis te percusserit in dexteram  
tuam maxillam, præbe illi & alteram.*

§. I.

Lex talio-  
nister scri-  
pta reperi-  
tur.

**N**on agni momenti oportet fuisse le-  
gem istam: Oculum pro oculo & dentem  
pro dente. Ea enim ter scripta reperitur.  
Exod. XXI. ¶. 24.25, Oculum pro oculo,  
dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede,  
adustionem pro adustione, vulnus pro vulnero. Levit.  
XXIV. ¶. 19.20. Quod si quis intulerit corporis vitium  
proximo suo, quemadmodum fecit, sic fiat ei. Fractura  
est pro fractura, oculus pro oculo, dens pro dente, pro-  
ut intulerit corpori vitium, ita infertor ei. Deuter.  
XIX. ¶. 19. seqq. de falso teste. Omnipotens facite ei, quem  
admodum molitus erat facere fratri suo, ut tollas ma-  
lum è medio tui: Et qui reliqui sunt, audientes timeant,  
ne que pergant facere deinceps quicquam simile huic  
rei male in medio tui. Neque parcito oculus tuus, vita  
pro vita, oculus pro oculo, dens pro dente, manus pro  
manu, pes pro pede esto. Legem autem istam rectè  
dixi-

dixeris legem Talionis, aut legem paris vindictæ, quam Aristoteles 5. Ethic. c. 5. vocat τὸ ἀντινεμονθός i. e. contrapassum, sive parem passionem, ut adeò talio sit jus, quo delinquenti par pœna infligitur: vel pœna, qua æquali modo patitur, quo quis nocuit.

*Quid sit lex talionis?*


§. II. Hanc legem DEUS suo populo dederat, partim ut homines ad inferendam injuriam propria talionis pœnâ deterrentur; partim ut judices certam haberent regulam, secundum quam procederent in irrogandis injuriarum pœnis, ne vel justo ridigores essent, vel nimia sua lenitate pravorum audaciam magis provocarent. Quamdiu enim homines in societate vivent, erunt semper, qui studio lacessendi alios ducti nonnisi formidine pœnæ intramodestiae limes continentur. Et facile quoque est judici modum in infligendis pœnis excedere, si extra & citra præscriptas leges ei judicare permittatur.

*Cur Deus populo suo legem talionis dederit?*

§. III. Jure igitur meritòque talem legem DEus extare voluit, quam etiam extraordinariis nonnunquam judiciis confirmatam legimus. Samson judex populi DEI & vindex tali clade Philistæos affecit, ut diceret: *Sicut fecerunt mihi, sic feci eis*. *Judic. XV. vers. II.* justam hanc legem agnovit quoque Adonibesec *Judic. I. 6.* ita inquiens: *Septuaginta Reges, amputatis manuum & pedum summitatibus colligebant sub mensa mea reliquias; sicut feci, ita reddidit mihi Deus.* Samuel antequam transfigeret Agagum, ita ei edixit: *Sicut fecit absque liberis mulieres gladius tuus, sic absque liberis erit inter mulieres materna tua* i. Sam. *XV. vers. 33.* Huc quoque pertinet

*Lex talionis sapè extraordinariis judiciis confirmata fuit.*

com-



4



communatio Esa. XXXIII, 1. *Væ tibi, quia prædaris, annon prædam patieris? cum consummaveris devestationem, devastaberis.* Et Habac. II, 8. *Quia tu spoliasti multas gentes, spoliabunt te reliquiae populorum.* In N. T. hanc legimus sententiam. Matth. VII, 2. *In quo judicio judicaveritis, judicabimini; & in qua mensura mensuraveritis, remetietur vobis.* Adde Apocal. XIII, 10. *Qui in captivitatem duxerit, in captivitatem ibit; qui gladio occiderit, oportet eum gladio occidi.* Unde effatum illud Autoris Sapientiae crebro audire licet: *Per quæ quis peccat, per eadem torquetur, Sapient. XI, 17.*

*Lex talionis non solum in Republ. Israelitica, sed & apud omnes ferè gentes recepta.*

S. IV. Fuit autem lex talionis non tantum in Republ. Israelitica, sed & apud omnes ferè gentes recepta. Interim hæc talio non semper poterit de omnimoda identitate accipi, quemadmodum existimarunt Pythagoræi. Quid si enim privatus oculum excusserit gerenti Magistratum, num satis erit, oculo eum privari? Et si idem vulnus infligeretur infirmiori, quod robustiori, num æqualitas erit, cum alter sine vitæ dispendio idem ferre non potest? Fac præterea, monoculum excutere unum oculum habenti duos, poteritne sua æquilibrio justitiae constare proportio, si monoculo suus adimatur oculus? Et qui rigidè talio possit observari, cum vulnus acceptum vix unquam eadem longitudine, latitudine & altitudine redhiberi possit? Si enim justo profundius & majus fuerit, longo & ridiculo circuitu vicissim aliquid pœnæ ab eo exigi deberet, qui tale vulnus alteri infligi postulavit, donec tandem res ad æquilibrium reducatur.

Præ-

*Ista lex non potest de omnimoda identitate intelligi, uti putarunt Pythagoræi.*

*Præterea talio h.m. intellecta in plurimis criminibus locum habere non potest. Quomodo enim per talionem adulterium, crimen læse Majestatis, convitium, calumnia, crimen falsi, suppositio partus, incestus, violatio sepulchri &c. puniri possent? Et quomodo cœcus aut edentulus, qui oculum aut dentem alicui excusit, pœna talionis affici posset? Tandem pythagorica ista talio admodum noxia esset Reipublicæ, quia mutilis, cœcis, claudis, cicatricosisque & infamiæ injuriæque notas circumferentibus plena erit, quare hac lege non præcisè & semper ~~tavutonidua~~ præscripta fuit, sed ut tradunt Hebræorum Magistri ad Exod. XXI. & Levit. XXIV. persæpè locum habuit compensatio damni juxta arbitrium judicis, pro qualitate personarum & ratione circumstantiarum pecunia estimati, vid. Exod. XXI, 19. Ubi is, qui lapide aut pugno alterum læsit, damnatur tantum ad multam pecuniariam pro ratione lucri cessantis & impensarum ad curationem læsi necessariarum. Læsio autem ista nō fuit sine vulnere aut livore. Unde cum postea in lege talionis dicitur, livorem pro livore dandum esse, hoc non nisi de pretio livoris intelligi poterit. Eadem ergò ratio esse videtur de oculo & dente, quam formulam esse locutionem proverbialem, qua pœnas delictis proportionatas esse debere significatur, Bodinus de Republ. l. 6. c. 6. p. 1203. seq. contendit, qui & legem istam nunquam in usu fuisse afferit. Certè ex §. 7. Instit. de Injur. satis liquet, pœnam in lege XII. Tabul. qua propter membrum ruptum talio erat, jam olim Romæ in desuetudinem abiisse. Plura in hanc*

*Talio Pythagorica interdum esset impossibilis, & noxia Reipubl.*

*Probatur dictis Scriptura, quod ~~tavutonidua~~ non fuerit præcisè hac lege præscripta.*

hanc rem vid. apud J. A. Ohand. comment. in Exod. c. XXI. p. 215. & Annot. in Hug. Grot. p. 1139. Sim. Episcop. Instit. Theol. l. 3. sect. 2. c. 12. §. 5.

Talio tan-  
tum à Ma-  
gistratu  
immitti po-  
truit.

Legem ta-  
lionis à  
Pharisæis  
corruptam  
Christus  
sua integri-  
tati resti-  
tuuit.

§. V. Qualiscunque verò fuerit ista *talio* & *retributio*, certum est, eam tantum à Magistratu immitti potuisse, non autem licuisse unicuique malum pro malo reddere, in ipsa enim lege *Mosis* privata quoque vindicta exertis verbis prohibetur *Levit. XIX, 18.* *Ne ulciscitor, neque iram asservato in popula- res tuos, sed diligito proximum tuum, sicut te,* Ego sum *Jehovah.* Et *Prov. XXIV, 19.* *Ne dicas, quomodo fecit mihi, sic faciam ei,* & reddam unicuique secundum opus suum. Interim Doctores Synagogæ seu Pharisæi legem *talionis* ad judicia pertinentem falsa suâ interpretatione vel traxerant ad vindictam privatam, quasi cuilibet privato eam exercere, aut animo ulcisciendi se, expetere liceret vindictam lege moderatam. Vel saltem de pacifica injuriarum perpersione nihil docuerant. Ideò restituto verò legis sensu fal- sationem omnem Christus refellit *Matth V, 38. 39.* *Audi- divistis dictum esse, oculum pro oculo &c.* ut sensus sit: *Audi- divistis dictum esse ab Antiquis sc. Pharisæis:* Ocu- lum pro oculo erues; aut ad explendam ultionem, & tranquillandum animum vindictæ cupidum, postu- labis à Magistratu, ut ei, qui oculum tibi excussit, vicissim oculus eruatur. *Ego autem dico vobis, ne re- sistite malo, id est, non licet, ut hac ratione & ex cupi- ditate vindictæ injurias vestras ultum eatis, quin po- tius vos decet esse animo tam alieno à vindicta, ut nunquam per violentiam & parem retaliationem.*

(quæ

(quæ est propria vis verbi *avulsiōnēs*) resistatis malo, sc. homini, injuriam inferenti, sed ad ferendam novam injuriam parati sitis potius, quām ut injuriæ illius compensationem ulla ratione per similem percus-  
sionem, aut aliam aliquam retaliationem quærere velitis. Neque enim permittit lex charitatis, alterius incommodum & noxam sine ullo etiam commodo & proprio emolumento quærere Rom. XII, 16. Cūm aliás honesta sui defensio, & inculpata tutela, aut si hanc obtainere non possim⁹, sui à periculo subductio, insuperque gravis & feria increpatio eorum, qui dolorem & molestiam nobis adferunt, semper concessa fuerit, uti Christi, Pauli aliorumque exemplum satis clarè docet. Valde enim differunt: Tueri se honestè contra injuriam inferendam, aut illatam. Et illatam cum acerbitate vindicare. Illud est licitum, hoc non item.

§. VI. Exemplo quodam ut rem hanc Christus manifestam faciat: ita pergit: *Si quis Te percusserit in dextram maxillam, præbe illi & alteram.* i.e. Noli, si quis te malo affecit, ei vicissim malum rependere, aut odium ejus induere: sed ferienti maxilla-  
rum unam, alteram quoque percutiendam præbe potius, quām te ulciscaris, aut alapam regeras, ma-  
lum malo penses, & quidem prætextu legis de *Talione*. Atque hanc esse intentionem verborum Christi, *si quis te percusserit &c.* neque ea præcisè secundūm literam intelligenda, quasi percutienti unam maxillam, altera statim ultrò atque cum silen-  
tio, obverti deberet; sed secundum *impietiam acci-*

B

pienda

*Quomodo  
verba ista  
intelligen-  
da sint: Si  
quis Te  
percus-  
serit in  
dextram  
maxillam,  
præbe illi  
& alteram?*

pienda esse, ipse Christus factio suo docuit *Job. XVIII,*  
*22. 23.* Ubi non tantum non præbuit percutienti Pon-  
tificis Servo alteram maxillam, sed & percutientem  
his verbis objurgavit: *Si malè locutus sum, testare de  
malo: Sin bene, cur me cædis?*

*Ipsa recta  
ratio docet,  
τὸ πντὸν in  
illis verbis:  
Si quis Te  
percusse-  
rit in dex-  
tram ma-  
xillam &c.  
deseren-  
dum esse.*

§. VII. Et quanquam hoc factum Christi non extaret, ipsa tamen recta ratio τὸ πντὸν hic deserendum, & benignam explicationem admittendam esse cogeret, quid si enim percutiens dexteram maxillam secundò ferire nolit? Quid si secundò percussurus nolit alteram ferire, sed dexteram jamtum percussam? Deinde si prior colaphus ita libratus fuerit, ut homo percussus præ dolore novum recipere non possit? Præterea si quis percutienti ultrò offerret alteram maxillam, non tantum eum irritaret, sed & ad novam invitaret injuriam. Denique si præcisè secundùm literam sententia hæc Salvatoris intelligeretur, tum nequidem liceret declinare injuriam & subterfugere periculum, quod est contra præceptum Matth. X, 23. quo ad declinanda pericula fugere jubeatur de civitate in civitatem. Imò ex verbis secundùm literam intellectis nequidem liceret percutientem blando alloquio aut commonefactione atque objurgatione à furore & nova injuria abstrahere, quod contra omnem rationē, & contra Actor. XXIII, 3. 4. Ubi Paulus percutienti non obvertit alteram maxillam, sed justo zelo commotus Ananiam in hæc verba objurgavit: *Percutiet te Deus, paries dealbate.*

§. VIII. Quare eo modo, quem §. 6. indicavi, dictum hoc intelligendum est. Nempe Christus illatas in-

injurias non tantum patienter ferre nos jubet, sed &, quò animum ab omni vindicta alienum ostendamus, vult, ut, postquam neque blandis neque ad severitatem compositis verbis, nec querela aut fuga aliquid proficere potuimus, potius ad ferendam novam injuriam nos componamus, atque obvertamus alteram quasi maxillam feriendam, quàm par pari reprendamus. Cæterùm quidam Interpretes causam reddere conantur, cur dextræ potius maxiliæ quàm sinistræ h.l. fiat mentio, cùm tamen sinistra ictui magis exposita sit. Putant nempe, atrociorem injuriam notari percusione dextræ, utpote in quam ictus aversus, ideoque magis contemptibilis dirigatur, vid. Cornel. Jansen. *Comment. in b.l.p.* 47. Sed hoc nimis argutum esse videtur, & nulla h̄c emphasis aut vis est in dextra, nisi quod sequatur consuetudinem loquendi, non cædendi. Ferientis enim impetus, ut dictum, in sinistram potius fertur. Unde & in loco parallelo *Luc. VI, 29.* h.m. recensetur istud præceptum: *Qui te percutit in maxillam, utravis fuerit, præbe ei & alterā.*

§. IX. Hactenus de sensu Verborum *Matth. V,* 38.39. stricta brevitate actum est, ostensumque, Christianum à Retaliandis injuriis alienum esse debere. Ut verò hæc doctrina clarius adhuc exponatur, utile erit, occurrentes hac occasione dubitationes & casus sequentibus includere quæstionibus, atque expedire. Prima itaque *Quæstio* esto: *Quomodo illud: NE OB- SISTITE MALO.* conciliari possit cum dicto Pauli 1, *Tim. V, 8.* *SI QVIS SUORUM ET MAXIME DOME- STICORUM CURAM NON HABET, FIDEM AB-*

B 2

NE-

*Cur dextræ  
potius ma-  
xilla quàm  
sinistra fiat  
mentio?*

*Malo non  
obsistere, &  
tamen suos  
tueri, quo-  
modo simul  
consistere  
possint?*

*NEGAVIT, ET EST INFIDELI DETERIOR, cùm  
sepè homo domesticis prospicere non possit, nisi malo re-  
sistat?* Ad quam ut respondeatur, repetendum ante  
omnia, quod §.5. dictum, illud *non resistere* præcisè  
*καὶ οὐ δύνασθαι* intelligi non posse, alias enim illa quoque  
resistentia, qua superior inferiorem v.g. Magistratus  
facinorosum, Pater rebellem filium castigat, atque in  
officio continet, interdicta esset, quod absurdum. Di-  
cendum igitur, privatam tantum resistentiam hīc  
prohiberi, quæ oritur ex animo vindictæ cupido, at-  
que acceptam injuriam retaliare annititur; non au-  
tem quæ merè inculpata tutela est, aut qua quis pro  
sui atque domesticorum suorum salute injustam vim  
propulsat. Tantum enim abest, ut hæc resistentia sit  
prohibita, ut potius fiat bono ejus, cui resistitur, e.g.  
si quis claustris & vectibus nocturnum aggressorem  
ædibus suis arceat, aut si quis eum in ergastulum  
compingat, sive ope Magistratus compingi curet. Ut  
nunc de eo nil dicam, quod quidam Interpretes circa  
1.Tim.V,8. monent, non agi ibidem de modis, quibus  
quis domesticis suis providere debeat, eosdemque ab  
omni violentia immunes præstare; sed quomodo vi-  
duæ doctrinâ simul atq; vitæ sanctimoniam domesticis  
suis præire debeant, neq; lasciviâ & petulantia suâ iis-  
dem in via salutis impedimentum afferre aut nocere.

**§. X. Quæstio secunda.** Quomodo cum verbis  
Christi, si quis te percusserit &c. conveniat, quod qui-  
dam Theologi & Moralistæ tradunt: *Viro honorato  
alapâ percuſſo licere repercutere.* vid. D. Rudrauff.  
Ethic. part.3. c.6. p.223. Pruckner Man. Cent.3. qu.77.

*An viro  
honorato  
depalmato  
concessum  
sit, alapam  
lædenti re-  
gerere?*

&amp;

& 78 p. 151. seq. & MORALISTAS s̄æpe in vindicandis Injuriis nimium laxare conscientias, atque eò non raro progredi, ut alapam imò etiam maledicas voces & injurias cæde præveniri, atque si aliter injuria arceri nequeat, contumeliosum occidi posse dicant. vid. L. Montaltii Epist. Provinc. 7. & Zigler. Not. in Grot. l. 2. J. B. & P. c. I. §. 10. Ubi ex Moralistarum Scriptis quædam in hanc rem collecta reperiuntur. THEOLOGI verò qui repercussionem concessam esse putant, eam intelligunt, quæ fit statim & in momento, non *ad summendam vindictam, sed ad vitandam ignominiam.* Balduin. lib. 4. Cas. Consc. c. I. Cas. 15. Quanquam ignominia ista etiam non repercutiendo vitari, atque à Magistratu facile aboleri possit, asperrimâ pœnâ lædenti imposta, eodemque adacto, ut honoris signa læso publicè exhibeat. Præterea datur casus, quo, quæ in alapa inest ignominia, repercutiendo non deletur, ut, si homo sordidus & vilis conditionis virum honoratum feriret. Ibi namque è dignitate honoratioris non esset, multò minus læso satisficeret, si alapam alapâ tantùm remuneraret.

§. XI. Quæstio tertia. An judicialis injuriarum persecutio pugnet cum Christiana patientia? & Si contentio in foro civili fiat animo vindictæ cupido, virulento, & propter conceptum odium æstuante, nullum dubium est, pugnare istiusmodi persecutio nem cum patientia Christiana. Quod si verò absit vindictæ cupiditas, christiana patientia non obstat, quò minus injuriis laceffitus rem ad judicem deferre possit. Neque enim vitæ Christianæ regulæ politias abo-

Judicialis  
injuriarum per-  
secutio non  
pugnat  
cum Chri-  
stianapati-  
entia.

abolent, quin potius ad læsi aliorumque securitatem multum conducit, infrunitam quorundam licentiam coërcere, qua probis insultant, eosdemque contumeliis afficiunt. Quo ipso etiam satis liquet, in istiusmodi vindicatione non tam pœnam ratione præteriti, quam futuram immunitatē quærendam, aut, ut Hobbes loquitur, non tam respiciendum, quam prospicendum esse. vid. Aulic. inculpat. part. secund. cap. 17. §. 7.

§. XII. *Quæstio quarta. An expedit, acceptas injurias dissimulare?* Jubet persæpè necessitas, temporumque conditio, ut valeat apud Prudentes illud: *Optimum injuriarum remedium est, easdem non intelligere.* Imò oportet nonnunquam accipere injurias & agere gratias, adeò ut non patienter tantum, sed & hilari vultu ferendæ sint. Præsertim si potentior & superbus eas intulerit, tum nequidem fateri expedit. Is enim iterum faciet, si se fecisse crediderit. Hoc scil. habent pessimum animi magna furtuna insolentes, *quos læserunt, eos & oderunt.* Cum quibus si quis intempestivè judicio experiri, sibique victoriam polliceti ausus fuerit, suo damno tandem discet, verum esse illud: *Non indecorum modo, sed inutile plerunque, sæpè & pernitiosum esse, conceptam ex injuria indignationem profiteri.* Quod si verò injuria fuerit atrox, ut impetratur existimatio læsi, aut aliud quoddam periculum rebus ejus inde immineat; non erit consultum, insensatum se ostendere, atque incutium existimationis. Sed nec lædenti ita implacabilis erit læsus, quin satisfacturo reconciliationis spem locumque veniæ relinquat. *Quam in rem non inutile*

fū-

*Optimum  
interdum  
injuriarum  
remedium  
est, easdem  
non intelli-  
gere,*

*Atroxem  
Injuriam  
dissimulare  
non expe-  
det.*

fuerit, queri primò de injuria apud amicos ejus, qui læsit. Si tunc pœnitudinis quædam indicia præbeat, læsoque satisfaciat, redeundum est in gratiam cum offendente. *vid rursus Aulic. inculpat. part. 2. c. 17. §. 8. 9.* Cùm verò sæpè liceat reperire homines, qui multis injuriis & inimicitiis inclarescere amant, qui que ex malitia & spe impunitatis asperiores semper fiunt, his alio modo obviam eundum, quem exponere hujus loci non est, sed aliò pertinet. Interim non rarò observare licet, admirabili DEI judicio injurias ad tales homines cum fœnore quasi redire.

§. XIII. *Quæstio quinta. An liceat ferventes adhuc inimici offensas in libro ad memoriam annotare?* Contingit nonnunquam magno afflitorum commodo, ut inimici illorum perfluant instar dolii rimarum pleni, odiaque minas & machinationes apud eos quoque spirent, & profiteantur, qui secretorum non retinentes, rem totam ad alios transmittunt. Jam si ad eos, quorum scire maximè interest, hæc arcana quoque dimanent, laudanda est divina providentia, quæ malignorum consilia h. m. detegere & confundere solet. Neque tunc otioso licet esse & incurioso ei, cuius res agitur. Sed uti gladium in vagina, ita offensas in charta ad sui defensionem tunc habere expedit. *vid. Dannhavver Cas. Conscient. part. I. p. 326.* Ignobile, *dicis*, hoc pugnandi genus est, conjunctum cum livore & odio, quod indignum christiana moderatione. Euge verò, quām nobile genus amoris, & quām bella est moderatio: fodicare proximum immerentem, & variis eum afficere injuriis, ita ut nec remedium contra easdem quærere debeat! Similem ferè charitatem & moderationem *Cardinalis Dieterichsteinius* exhibuit L. Baroni *Carolo Zerotinio* apud *Joh. Let. Compend. Hist. Univ. p. 505.* Cæterū satis se à suspicione odii & livoris liberat is, quem aliorum criminationes ad talem defensionem compellunt. Interim tristis ea est pugna inter

Ferventes  
inimici of-  
fensas in  
charta ad  
memoriam  
annotare  
licet,

Chri-

Christianos, sed tamen & talis, quam in societate humana vix  
subterfugere possunt, qui variis divexantur acerbitatibus.

**§. XIV. Quæstio sexta.** *An sit contra præceptum de fe-  
rendis injuriis, si quis ad calumnias extra judicium respondeat?*  
Quanto l'accuse giovaro alle Repubbliche, tanto le calumnie  
nuocono, eleganter inquit *Machiavellus Discors sopra la prima  
Deca di T. Livio lib. I. cap. 8.* Uti accusatio libera prodest, ita  
calumnia nocet Reipublicæ. Hinc calumniæ omnibus bonis  
tam detestabiles sunt, ut ad eas tollendas nullo labore parcen-  
dum esse dicant. Tolluntur autem calumniæ commodissimè  
& evitantur, cum libertas datur, unumquemque calumnia-  
torem accusandi, flagitandique à judice, ut calumniatorem  
cogat fieri accusatorem, quod iterum monet *Machiavellus l.c.  
p. 23.* perche si debbe fargli diventare accusatori, è quando l'accusa  
si riscontrivera; o premiarli, o non punirli. Ma quando la non se  
riscontrivera, punirli, come fu punito Manlio. *Conf. lib. 2. discors.  
c. 28. p. 176. 177.* Et siquidem publicè probare queant, id verum  
esse, quod clanculum impingebant, ut vel præmio, vel nullo  
damno afficiantur. Si probare nequeant, puniantur, ut Man-  
lius, qui calumniator inventus in vincula duci jussus est.  
Quod si verò hoc modo contra calumniatorem agere non  
detur; aut necesse sit, querimoniam in aliud tempus differri,  
licebit interea judicio recte sententium ad calumnias respon-  
dere, easque repellere, ne neglectæ & non contritæ robur  
accipient. vid. *Dannhauer. Colleg. Decal. Disp. 18. quæst. 2. pag. 923.*  
Huc pertinet, quod *Proverb. XXVI, 5.* legitur: responde  
stulto, ne videatur sapiens. Et quod Christus maledicis Ju-  
dæis respondit, cum dixissent: *ipsum habere dæmonium.* Vos,  
inquit, *ex Patre Diabolo estis, non ego.* Joh. VIII, 44. Adde,  
quod nihil delinquat, qui eo animo aliquid facit, non ut alteri,  
sed ne alter sibi noceat. arg. l. 2. §. 9. ff. de aqu. & aqu. pluv.  
arcend. & arg. l. 25. ff. de Procurat.

F I N I S.

Coll. diss. A. 59, misc. 20